



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Series Actorvm Omnivm In Canonizatione Sancti Thomae a Villanova, Cognomento Eleemosynarij**

**Romae, 1658**

Fr. Ambrosius Landuccius Episcopus Porphirien[is]. Assistens, Sacrarij  
Apostolici Praefectus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9857**

95

**Laurentius Gauottus Episcopus olim Vintimilien  
Assistens .**

**T**homæ de Villanoua singularem vitæ sanctitatem, probata virtutum omnium resonante fama, Terra vniuersa testatur, Beatissime Pater, testantur & Coeli. Seruo Dei, vel in hoc mortali corpore, Cui suo concinunt plaudentes Angeli, & ipse descendentium choris admissus, alternatim Dei laudes annuntiat, perenniter celebraturus; accepto testimonio quod maius est, die scilicet ore diuino indicta, se perpetuo regnaturum. Terra igitur, & Cœlo simul acclamantibus, dignè Viro Dei decernentur in terris honores debiti regnantibus in Cœlis.

**Fr. Ambrosius Landuccius Episcopus Porphiriën.  
Assistens, Sacrarij Apostolici Præfectus .**

**S**anctissime Pater. Fr. Thomas de Villanoua Archiepiscopus Valentinus, cognomento Eleemosynarius, Sacri Ord. Eremitici Diui Parentis Augustini illustris, & gloriosa soboles, verè inuentus est sine macula: minimè post aurum abiit, nec sperauit in pecunia, & thesauris: vndè innocens, & faciens mirabilia. Assidue manus suas, incomparabili animi munificentia, aperuit inopi, & palmas suas extendit ad pauperes. Ideo non timuit à frigoribus niuis, nec à caloribus nimijs gehennæ, & inferni. Semper super egenum, & pauperem intellexit: & ita Beatus. Tandem omnino, funditusquè dispersit, & dedit pauperibus: quare exaltatus in gloria. Quæ omnia, cum apud hanc Sanctam Sedè in ordine ad solemnem eius Canonizationem fuerint iuridicè comprobata, ideo quòd modò cælestibus fruatur thesauris, quos, eo largiente, manus pauperum in Cœlum deportauerunt, & quòd sit publicè colendus, & adorandus, affirmarem per Sanctitatem Vestram posse pronuciari.

Perfius